

An Mimi,  
tibicines in  
Republica  
ferendi?

LIX. *Quid de mimis, histrionibus, & tibicinibus sentiendum? ut plurimum civium numero excluduntur: quòd histrionica homine ingenuo indigna; quòd Alcibiades tiliarum usum Thebanorum filiis, quòd loqui nescirent, convenire dixit, non genti Atticæ, cujus princeps Pallas & Apollo, quorum illa fistulam confregit, hic tibicinem excoriavit: quòd Plato ab imperitis ideò adhiberi tibicines existimat, quòd cum ob inscitiam mutuâ colloctione exhilarare sese nequeunt, luculentâ mercede tiliarum alienam vocem conducere solent.*

Tùm pa-  
rentes, quo-  
rum officiũ  
est præstare  
tùm hono-  
rem,

LX. *Atq; hæc sint officia imperantium vel Magistratum propria: quorum studium unicum esse debet, videre, quo studia ad vitam commodè & beatè degendam in Republica vigeant: sequuntur officia à subditis præstanda.*

LXI. *Magistratui subditi vel cives honorem exhibeant debitum: divinum namq; quodammodò honorem meritò sibi arrogat magistratus, quòd DEI vicem gerit, id quod sacris etiam literis est proditum, ubi ab officij eximia dignitate dñ nuncupantur.*

tùm obedi-  
tiam, cujus

LXII. *Secundò obedientiam imperantibus præstent, cùm penes illos sit leges ferre, ad subditos verò pertineat parendi studium.*

LXIII. *Leges tamen vel edicta illa haut adversentur naturalibus & divinis juribus; cùm ex mente sacrarum literarum, DEO magis obediendum, quàm hominis auctoritas valere debet: quòd etiam à Socrate factum, obediã, in-  
quiente, DEO magis, quàm vobis, uti historia referunt.*

pars est tri-  
butorum so-  
lutio.

LXIV. *Est namq; magistratus ad virtutem, non verò ad ea, qua honestati adversantur, subditos assuescere.*

LXV. *Pars obedientiæ est, si tùm tributa ad conservatio-  
nem gubernationis, judiciorum & pacis publicæ indicta præ-  
stant:*